



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XXIII. Insidiæ & inventiones ad evertendum Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRUMNA XXIII.  
Insidiæ ac Inventiones ad evertendum  
Christum.

I.

**A**uctum est non modicè pondus Ærumnæ prioris, quam Dominus in perpetua contradictione sustinuit, per astutias ac dolosas inventiones Principum, Sacerdotum, Doctorum & Phariseorum; dum conabantur eum capere in sermone, fundamentum aliquod & colorem haberent malorum, quæ ipsi desiderabant inferre. Id quod multas ob causas pro peculiari ærumna, & una ex præcipuis molestiis Domini computari potest: pro quali Propheta illam habuit, cum toties deplorat & exaggerat in Psalmis laqueos & insidias Domino structas: ut eum è medio tollerent. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo: sub lingua eius labor & dolor: Psalm. 9. laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Psalm. 56. In via hac, quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi Psalm. 141. Cogitaverunt supplantare gressus meos. absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Psalm. 139. Præoccupaverunt me laquei mortis. Psal. 17.* Quia consilia eorum tendebant eò, ut illum per astum tollerent.

*Insidiarum  
in suis.*

II. Unde quacunq; incedebat, illum insequabantur, in omnem occasionem intenti: quando erant multi cum illo, ipsi erant à tergo, impetentes eum variis interrogationibus, non sine imperunitate, & multa inconvenientia, ut S. Lucas notavit c. 11. cum illi graviter insisterent, & os eius opprimerent, insidiantes ej, & quærentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum. Veniebant modò Sadducæi, modò Pharisei: modò mittebant suos discipulos; aliquando non sine tumultu, ut cum muliere deprehensa in adulterio, magno mitissimi Agni fastidio, nullam ei quietem permittentes. Ubi admireris malitiam eorum, qui cum viderent omnes suas artes ei manifestas esse, ac proinde frustra se agere, denique suismet responsis convictos ita se expediri ab illo,

ut



ut non haberent, quod contrà mutirent, ac proinde venirent in contemptum apud populum, nihilominus non destiterint; sed omni pudore semoto, illum tandem proditoriè captum ad mortem crudelem adegerint. Ille verò, cùm defecissent scrutantes scrutinio, semper evasit victor, & sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Gratis enim absconderunt illi interitum laquei sui, & captio, quam absconderunt, apprehendit eos, & ipsimet in laqueum inciderunt.

III. Ex quo clarè intelligitur, virtuti non esse opus aliis *Virtuti* armis contra malitiam, quàm se ipsa. Malitia enim & quisquis *contra ma-* persequitur virtutem, aliud non quærit, quàm ut virtutem à se *litiam non* ipsa deturbet ac vertat in vitium: huc tendunt omnes astutiæ, *est opus* machinationes ac violentiæ: nec alià viâ quidquam contra virtu- *aliis armis,* tem effici potest. Unde si hæc sibimet ipsa constiterit, omnia ipsi *quàm se-* contraria in irritum recidunt. Quod etiam Philosophi gentiles *ipsa* intellexerunt, cùm dicerent; Arcem virtutis nec expugnari nec suffodi, neque transcendi, neque dolo capi posse: atque ut solis claritas obscurat lumina minora, sic magnitudine virtutis dolores, molestias, injurias quasvis elidi & opprimi: neque plus posse, cùm in illam inciderint incommoda, quàm nimbium in mari. Sic iram sola vincit patientia, mendacium veritas, humilitas superbiam: ut adeò servus DEI, aliis armis contra quævis adversa non egeat, quàm ut nitatur virtute, ac perseveret in illa. Hinc dicit Propheta Ps. 124. *Non relinquet Dominus virgam, id est, sce-* ptrum, potentiam, dominatum peccatorum super sortem justorum: *ut non extendant Inisti ad iniquitatem manus suas, ei se submittendo* quasi superiori, potentiori, & honoratiori; vel alia contra eam arma sumendo, quàm ipsam justitiam, quâ solâ sunt tuti. Unde illos Dominus per Malachiam dicit fore suum *Peculium, in illa Malaob. 3.* die, quâ faciet, ut appareat, *quid sit inter justum & impium, inter 17.* *servientem Deo, & non servientem ei.*

IV. Præterea verò ex insidiis illis Judæorum hoc etiam est *Ex occasio-* ortum, ut earum occasione Christus revelaret nobis divinissima *ne insid-* secreta ad illustrandam fidem nostram, accendendum amorem *rum Domi-* DEI, & consolationem servorum ejus. Ut cùm dixit, sabbatum *nus* esse



*revelavit  
magna se-  
creta.*

esse propter hominem, ut cultui divino possit vacare impensius; se esse plus, quàm Salomonem & Jonam; plus scilicet habere sapientiæ, divitiarum & suavitatis: Castos fore similes Angelis DEI: se, licet secundùm carnem sit oriundus à Davide, nihilominus Dominum esse Davidis; & eos, qui credunt in ipsum, apud Deum anteponi quibusvis incredulis, Scribis & Pharisæis: Pacem internam nequaquam turbendam, si Deo demus, quæ DEI sunt, & mundo, quæ mundi, nihil ultrà quærentes vel altercantes: se sponsum esse animarum nostrarum, cujus conversatio suppleat omne jejunium; nos non sollicitos esse debere de lavandis manibus, sed de puritate interna: misericordiam erga peccatores, declaratam similitudine prodigi recepti à patre, item quæsita ovis ac drachmæ, gratiorem esse Deo, quàm sacrificium: Fluminibus gratiarum abundaturos fideles: non esse accusandum quenquam, nisi quis priùs cognoscat se ipsum: denique Deum diligendum ex toto corde, Proximum sicut nos ipsos; & alia innumera, quæ occasione malitiæ suorum inimicorum, ingenti nostro bono ex pectore suo divino deprompsit, omnem suam persecutionem vertens in nostram salutem. Pari modo qui impugnantur à malis, de suo capitali securi, cum DEI timore & amore, occupari debent non in reperiendo modo illis resistendi, sed in Deo illis reconciliando, constanter perseverantes in bono, gaudendo occasione monstrandi se fideles DEO suo, imitatores sui Magistri, inimicos inimicorum ejus, Secretarios veritatis mundo ignotæ, fortes propugnatores honoris Christi passi, & victores omnis malitiæ.

## EXERCITIUM De Insidiis Domino structis.

I.

*Oratio pro  
amore Dei.*

Slavissime JESU, Amor animæ meæ, purissime & fidelissime Amator tuorum! quis est ille, qui audet, ô DEUS & bonum animæ meæ! molestiam afferre mitissimo tuo Spiritui? Amas, mi JESU! & non amaris: Illuminas, Lux animæ meæ! & non cognosceris: recipis ô Bonum meum! & quæris omnes, & à nullo tu quæreris: obis, Vita animæ meæ! corda hominum, velut eleemosynam



mōsynam petens, dicendo; *Præbe mihi cor tuum*; & à nullo admitteris, nedum amaris; quod maximè flagitas. Quare hoc, <sup>Prov. 23.</sup> <sup>26,</sup> bone JESU? quis reperit in te, quod possit sperni? aut quid sine, vel extra te inveniri potest, quod ametur? sed ó Deus animæ meæ! non te fatigent mala nostra. Recordare, Domine, quòd olim dixisti, duodecim esse horas diei. Tu, Domine, potes mihi dare unam horam bonam, quâ te cognoscam & amem. Incipe à me, Deus, in hac hora, quanquam sera & forsàn ultima, cùm priores impenderim te non amando: sit hæc hora, quâ incipias à me cognosci, & possideri in meo corde. Tibi non minùs accepti fuere, qui, cùm tota die stetissent otiosi, te vocante serò iverunt ad laborandum in vinea tua: quia tantùm hi tibi displicent, qui venire non volunt. Ergo, Deus animæ meæ, præteriti obliviscere, & ab hac hora inter tuos me recipere. Amet te cor meum, desideret te spiritus meus, amplectantur te viscera meæ.

II. O quando dicam cum veritate: *Quis ergo me separabit à charitate Christi?* Et tamen, ó Suavitas mea! si amem te verè, quomodo id verè non dicam? Non separabit me à te timor mortis, quia tu es vita mea: nec amor hujus vitæ, quia desidero illam privari pro te: nec virtutes cælestes, quia tu major es illis: non præsentia, quia transeunt; non futura, quia in illis nihil est, quod cupiam nisi te: nec tribulatio, quia tu me consolaris; nec angustia, quia tu me dilatas: nec fames, quia tu me satias: nec paupertas, quia tu me ditas: nec pericula, quia tu me affecuras: nec persecutio, quia tu me liberas: nec gladius vel tormenta, quia pro te sunt suavia: nec servitus, quia in te est vera libertas: nec libertas, quia gaudeo esse servus tui amoris: neque creaturæ, quia nihil sunt ante te; nec vicissitudines vitæ, nec astutiæ inimicorum, neque tentationes hominum, quia tu omnia convertis in bonum.

III. Si tu, bone JESU! sis pro me, quis erit contra me? si tu cum aeterna charitate mihi te totum dedisti, quomodo non tecum dabis mihi omnia? Te amando sum fortis, sum patiens, sum benignus. Omnia credo, omnia spero, omnia magna præsumo, omnia possum, omnia mala effugio: quia te amando te possideo,

N n

&amp; te-



& tecum nihil mihi deest. Amando te sum homo, sum Angelus, sum civis cæli, sum mortuus cupiditatibus & peccatis, & vivo solum propter te. Si te non amo, quid boni possum habere? quo malo non scateo? Unum mihi dolet, quod aliquando te non amaverim. Sed hic dolor viventis est: nam cum te non amo, illum non sentio, & sum velut mortuus. Ah mi Jesu! fac doleam valde, quod te non amaverim; ut, cum vivo tuo amore, amem te valde. Illumina, mi bone Jesu! oculos meos, ut videam semper suavitatem, benignitatem & charitatem cordis tui; & captus tuâ pulchritudine, nulli alteri deinceps rei dem aditum. Hoc est, bone Jesu! quod speras: hoc, propter quod me sustines & exspectas. Ergo, Deus animæ meæ! veniat tandem illa felix hora, quâ te amem.

*Qui non  
amat le-  
sum, non  
vivit.*

IV. O bone Jesu, quàm perditus ille, qui te non amat? vivit solum ad mala, & ad suam perditionem: stultus est, quia vult gubernari à se tantum, & non à te: plus quàm infirmus est, quia cogitat esse sine te: imò peior est mortuo, quia vult vivere sine te. Quid dico, Deus meus! quis poterit exprimere, in quàm infelici statu sit sine te? Et quid pejus esse potest, quàm velle tibi se opponere, & quærere, quod culpet in te? O mi Jesu! mi Deus! qualis est hæc stultitia cordis humani destituti tuo amore? Conatur obscurare te, lux divina; culpate te, puritas divina; decipere te, sapientia divina; vult facere, ut retractes tua dicta, veritas divina; vult te, Verbum æternum, capere in sermone. Ah mi dulcis Jesu! cur volo amplius nōsse, quid agatur in amoroso tuo corde, cum videam te videre & intelligere illorum stultitiam; & tamen tacere, sufferre, & permittere te tractari pro libitu cujusque? Vides sollicitudinem istorum improborum, vides rabiem contra te, & infernaliam consilia contra tuam divinam virtutem, cautelas contra innocentiam; impias eorum intentiones contra divinam sapientiam tuam bene perpendis; qui, contra quem, quâ causâ, quo fine, & vides, & taces, & suffers. O cor dignum, quod solum ametur! quid enim tibi deest, ô cor divinum! cur non ameris ab omnibus? Tam es immutabilis, tam invictus, tam placidus, tam patiens injuriæ, tam infatigabilis in tribulatione, tam compatiens malis tuorum inimicorum, tam ingeniosus ad omnia conver-



convertendum in bonum, tam plenus omni eo, quod non possum comprehendere.

V. Adoro te, cor divinum! adoro vos, perfectiones immensæ! O mare bonorum meorum! ô flumen perenne gratiarum! ô focus purissimæ charitatis! ô thesaurus omnis meæ felicitatis! in hac pace & mansuetudine tua dormiam & requiescam secure. O si scivissent illi ponere tibi laqueos, quibus te sibi attraherent; quantis eos bonis ditasses? quanto gustu, bone JESU! dixisses illis arcana cælestia, si te studuissent capere in sermone, ut salutaria à te discerent? quàm libenter permisisses te spoliari, si tantùm bona tua quæsvissent? sed hoc, mi JESU bone! forsan tui est moris, ut gaudeas captari. Nam quoties te voco, & tu venis? cùm scias, quòd statim sim te derelicturus: quoties mihi ignoscis, & acceptas meam voluntatem non ampliùs peccandi? cùm scias me statim interim peccaturum: quoties consentis fœderi, quod in eo tecum? cùm scias me id statim rupturum: Apparet profectò, quòd te libenter sinas decipi; quia tuus hic amor fidelis hoc unum desiderat & exspectat, ut aliquando veniat hora, quâ capiaris omnino, neque ampliùs dimittaris à corde humano.

VI. Sed, ô bone JESU! quis habet plura strategemata? Et laqueos illine, ut capiant te? an tu, ut capias illos, & me? O pauperculum! quòd, cùm sim debilissima creatura, non tandem invenias finem, in subigendo me tibi, sicut desideras! Quid hoc est monstri, Domine? Illi suis dolis ausi sunt aggredi tuam virtutem divinam, cùm toti scelerati ac terreni tuæ infinitæ potentæ prævalere non possent: tu verò talis cùm sis, quomodo me, qui sum pulvis ac cinis, non subito elevas ad te? quomodo fugio retia tuæ charitatis? In omnibus rebus sunt laquei tui ad me capiendum; in tribulatione, tentatione, doctrinâ, minis, justitiâ, donis misericordiæ tuæ, denique in omnibus; quæ sunt in vita cælo & inferno: & ego omnia effugio. O me miserum! quid fugio? & cur me aliæ miseriæ captivum detinent, & impediunt, ne in dulces laqueos tuos incidam? Dirumpe, Domine, vincula mea, & sacrificabo tibi hostiam laudis, & dulce nomen tuum invocabo. Vita & salus animæ meæ! quomodo hoc fieri poterit? Tu mihi tendis laqueos,

Nn 2

& vis



*induamus  
in illos*

& vis, ut voluntariè me induam in illos; quia non vis amorem coactum; nam si coactus est, amor non est. Ergo, Domine, rumpe tu vincula mea, quæ me per vim tenent, & ego liberrimè te amabo. Nam etsi liberè amem, quæ à te me separant; nihilominus tu scis meam consuetudinem versam esse in catenam adeò fortem, ut quamvis videam bonum, ac probem, à malo tamen haud possim recedere. Ego te desidero; sed non possum desiderare ex toto; nam si ita te desiderarem, desideria mea tecum jam essent. Sola gratia tua potest rumpere istam catenam, liberare me à me ipso, & capere tuo amore. Fac, ó Domine, hoc opus, quod solius est potentia tuæ, & fiam captivus tui divini amoris.

Gratiarum actio pro veritatibus apertis à Christo, inter inimicorum insidias.

I.

*Gratiarum  
actio.*

**O** Thesaure bonorum omnium! ago tibi grátias infinitas, quòd mihi non tantum offeras, quidquid habes, sed etiam ex omnibus malis elicias bonum. Infinitas tibi gratias ago pro vi hujus amoris, quo pro damnatione inimicorum tuorum, quam promebantur suis dolis & insidiis, mihi protuleris caelestes consolationes, divinas doctrinas, & amplissimas veritates; ut me illuminares, & ad amorem tui adduceres. Doce me, Domine, ut illas intelligam, & adorem: imprime illas cordi meo, ut ex toto te amem, qui fons es omnis mei boni.

*IESVS plus  
quàm Salo  
mon.*

II. Adoro te, Rex pacifice! quòd nolueris me gubernari sapientià Salomonis: neque me vocaveris minis Jonæ, qui prædicabat Ninivitis terrena: nec volueris, ut ego apud te invenirem grandia mundi: sed ut mea gubernatio esset plus, quàm Salomonis, sapientià aeterna, divitià infinita, regnum aeternum; ad quod me provocas amore & operibus tuæ charitatis. O mi Domine, plus quàm Salomon; quia nulla terrena affectione potes mutari: plus quàm Salomon; quia pax tua est interna, plena omni consolatione caelesti: plus quàm Salomon; quia divitià tuæ, & gloria non possunt exhauriri, finiri: plus quàm Salomon; quia totus es omnium,



omnium, ac totus meus. Adoro te, victor mortis! plus quàm *Et plus,*  
Jonas, Domitor maris tribulationum; Condonator peccatorum, *quàm Io-*  
ac dulcis Receptor pœnitentium. Ne sinas, Domine, ut hæ gratiæ *nas.*  
mihi sint in condemnationem; sed ut eas amem, cum eis tibi ser-  
viam, & omnes mihi serviant pro signo & remedio vitæ æternæ.

III. Adoro te, purissime JESU! amator animarum casta- *IESVS*  
rum, propter æstimationem, quàm habes de pura & sancta casti- *amator*  
tate. Longè fac, Domine, cor meum à rebus terrenis, ut amem *castitatis.*  
hanc Angelicam virtutem. Et quia hoc dono tuo mihi provenire  
debet, quod dixisti, non omnes capere; vince meos hostes, & ac-  
cende in me ignem tuæ charitatis, ut cor hoc terrenum solum  
possit elevari, ac trahi funibus spiritualibus: fac id adhorrere ab  
omni imaginatione terrena: purifica illud, & effice Angelicum.

IV. Adoro te, Princeps, Dux & Salvator peccatorum! *Salvator*  
quòd volueris agnosci pro illorum pastore. Gratias infinitas ago *peccatoris.*  
tibi, pro amplissimo ingressu, quem aperuisti publicanis & pecca-  
toribus ad regnum. Et si isti magnum locum in illo sunt habituri,  
non relinquant me foris, qui sum inter majores ipsorum. Convertite  
me ad te, Redemptor meus! ut abhorrens à me ipso, amplectar te,  
& recognoscam te pro Domino meo, pro omni bono meo, & pro  
omni gloria mea.

V. Adoro te vera fide, ac toto corde; non ut Pharisæi cum  
dolo: & confiteor te Magistrum puræ veritatis; lucem divinam, *Magister*  
quæ ostendis veram viam ad Deum; fidelem amatorem animarum, *veritatis.*  
qui sine personarum acceptione aperis omnibus cor tuum divi-  
num. Doce me, Domine, dare mundo, Cæsari & proximo, quod  
conforme est legibus tuis; & tibi, mea beatitudo, hanc animam,  
in qua est imago tua, & similitudo impressa: quæ cum propter te  
facta sit, tibi soli reddatur & consignetur. Libera me, Domine, à  
tributis, quæ tanquam proditor volui dare meis hostibus; ut tota  
inclinacione impendam tibi hanc animam, cui soli debetur.

VI. Adoro te, vere amice! quòd tam apertè promulga- *Sponsus*  
veris te Sponsum animarum. Ne permittas, ut mea sequatur alios *animarum.*  
procos. O mi Sponse divine! tu es totum capitale meum, tu omnis  
honor meus; te solo contentus sum, te solo oblector. Da mihi,  
Domine,



Domine, vestem charitatis, quâ vis ornatos esse omnes, qui veniunt ad has nuptias. Nunquam absconde mihi faciem tuam; audiunt aures meæ semper vocem tuam, ut mox à me fugetur, quidquid in me tibi non placet; & ut hæc anima fidelis tibi Sponsa sit, nec alios amores admittat.

*Inspector  
cordis.*

VII. Adoro te, Sapientia divîna! quod me docueris, omnia bona, & mala à corde procedere. Purissimi oculi tui non decipiuntur specie externa, sed interiora perspiciunt. Innova in me Spiritum rectum; ne separe me à tua præsentia. O quam hoc tibi facile est, optime JESU! mihi tantum est difficile. Sed major est amor tuus, & misericordia tua, quacunquæ meâ duritiâ ac cæcitate. Resplendeas, Domine, in his obscuris cavernis cordis mei, & educ in eis fontem aquæ vivæ, ut veniant, ubi tu es.

*Receptor  
filiorum  
prodigorum.*

VIII. Adoro te, pie Pater, amorosè Receptor tuorum filiorum prodigorum & fugitivorum! Non sum dignus respicere in cælum, nec esse in numero filiorum tuorum: sed fac me sicut unum è minimis in domo tua: & hoc sufficit mihi.

*Reperor  
ovium er-  
rantium.*

IX. Adoro te, Pastor ovium errantium, qui tanto labore quæris profugientes à te. Ego plus erravi ceteris: exhilara domum tuam reperiendo me, & salvando. Adoro te, divine Sociæ peccatorum indigentium; intra in hanc pauperem casam, ut hodie salus ei fiat. Ostende misericordiam tuam; quia magis hanc vis, quàm sacrificium.

*Reductor  
animarum  
perditarum.*

X. Adoro te, verum Refugium omnium aberrantium, & potens Reductor animarum perditarum! Sicut verbis tuis divinis emollivisti eos, qui venerant ad te capiendum, ut faterentur, nunquam alium hominem sic esse locutum, quomodo tu loquebaris; ita, Domine, converte me ad te, ut videam veritatem tuam. Et sicut non condemnasti adulteram, quando omnes eam reliquerant in tua potestate; ita, Domine, recipe me; quia certò scio, à te non posse provenire, nisi veniam, consolationem, salutem, gratiam & amorem.

*Omnia  
conversens  
in bonum.*

XI. Ah bone JESU! instruant contra me inimici tui insidias, & inventant dolos, quotquot voluerint; tu ex omnibus novisti elicere pro misera hac anima totidem divitias. Quid ergo timeo,



timeo, mi JESU! cum terret me pugna tentationum, & mortificatio corruptæ meæ naturæ, & horreo dimittere omnia, ut expedite serviam tibi? Quis est, qui possit ac velit omnia mihi convertere in bonum, nisi tu? Nihil molestiæ tibi contigit, è quo non aperueris mihi fontem misericordiæ: quid igitur timeam? Tu salvas aquas efficis dulces: tu ex omni petra educis aquam: tu mare tranquillas, & è morte producis vitam; quid igitur timeam? Ah bone JESU! dilata cor istud, ut cum spiritu, fide & amore me projiciam in hoc mare charitatis, quâ me diligis; & in hæc brachia amoris, quibus me gubernas; ut ibi in te quiescam, te in te amem, te in te possideam, & à te semper possidear.

XII. Mater purissima, Thesauraria gratiarum DEI! quæ solum de hoc Domino vivebas; & cum illo solo ad eam perfectionem & gloriam venisti, quâ nunc gaudes; trahere me post te: confirma me in fide & amore hujus Domini; quia solus ipse est adiutor meus & refugium meum.

O gloriosa Curia cælestis, capta amore hujus Domini, ac dives thesauris ipsius, nobis adhuc absconditis, vobis autem apertis! stillate aliquam guttam dulcium illarum aquarum in hoc sitibundum & aridum cor meum, cujus percepto semel gustu semper aspiret ad illam supernam satietatem; donec mereatur liberari, & venire ad vestram societatem, ubi semper potero me saturare. Amen.

## Æ R V M N A XXIV.

## Ingratitudo Iudæorum pro beneficiis

Christi.

I.

**T**ta connexa sunt inter se vitia, ut quodlibet videatur esse propago & parens omnium. Inde est, ut Sancti jam ab hoc, jam ab alio dicant omnia scaturire, ut à superbia, ab invidia, ab amore sui immodico, ab ingratitude; de qua S. Bernardus dicit; *Ingratitudo inimica Serm. 15, anima, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum in Cant. perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia*